

**De tumore quodam mirabili in regione epigastrica : dissertatio inauguralis medico-pathologica ... / publice defendet auctor Adolphus Julius Aemilius Frühauf ; opponentibus R. Vielloehner, E. Tegener, F. Hoendorf.**

### **Contributors**

Frühauf, Adolph Julius Emil, 1821-  
Royal College of Surgeons of England

### **Publication/Creation**

Berolini : Typis fratrum Schlesinger, [1843]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/pkxvsr4w>

### **Provider**

Royal College of Surgeons

### **License and attribution**

This material has been provided by The Royal College of Surgeons of England. The original may be consulted at The Royal College of Surgeons of England. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

(25.)

DE  
**TUMORE QUODAM MIRABILI IN  
REGIONE EPIGASTRICA.**

---

**DISSERTATIO**  
**INAUGURALIS MEDICO-PATHOLOGICA**  
QUAM  
**CONSENSU ET AUCTORITATE**  
**GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS**  
IN  
**UNIVERSITATE LITERARIA**  
**FRIDERICA GUILELMA**  
UT SUMMI  
**IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES**  
RITE SIBI CONCEDANTUR  
**DIE X. M. APRILIS A. MDCCCXLIII.**

H. L. Q. S.

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

**Adolphus Julius Aemilius Frühauf**  
BRANDENBURGENSIS.

OPPONENTIBUS:

- R. VIELLOEHNER, med. et chir. Dr.  
E. TEGENER, med. Stud.  
F. HOENDORF, theol. Cand. min.



**BEROLINI,**  
TYPIS FRATRUM SCHLESINGER.

THE PREGAMENT OF JESU

**VIRO**

**ILLUSTRISSIMO, AMPLISSIMO, EXPERIEN-  
TISSIMO**

**GUILELMO WAGNER,**

PHILOSOPHIAE AC MEDICINAE ET CHIRURGIAE DOCTORI, MEDICINAE PROFESSORI PUBLICO ORDINARIO, DIRECTORI INSTITUTI PRACTICI MEDICINAE FORENSIS, AQUILAE RUBRAE IN CLASSE TERTIA CUM LAQUEO EQUITI, REGI A CONSILIIS MEDICIS INTIMIS, COLLEGII TECHNICI DE REBUS MEDICIS RESPONDENTIS IN REG. MINISTER RERUM SACRAR. ET INSTITUT. PUBLIC. AC RERUM MEDICINALIUM SOCIO, COLLEGII SUPREMI EXAMINIBUS MEDICIS HABENDIS CONSTITUTI SOCIO, SOCIETATIS SCIENT. NATUR. ET MEDIC. BEROLINENS., MED. CHIRURG. HUFELANDIANAE, ACADEMIAE REGIAE MEDICAE PARISINAЕ, SOCIETATUM FACULTAT. MED. PARISINAЕ, MEDICAE HOLMIENSIS, MED. ET CHIRURG. LONDINENS., PHYS. MED. ERLANGENS., MED. AEMULAT. PARISINAЕ, NAT. SCRUTATOR. MARBURGENS. SOCIO, SODALITHI MEDICI BORUSSICI SODALI, SODALITHI BADENSIS MAGISTRATUUM MED. MEDICINAE PUBLICAE INCREMENTIS ADIUVAND. CONSTITUT. SODALI HONORARIO ETC. ETC.

**NEC NON**

**PARENTIBUS  
OPTIMIS DILECTISSIMIS**

H A S C E P A G E L L A S

PIO GRATOQUE ANIMO

ATQUE SUMMA CUM OBSERVANTIA ET REVERENTIA

D. D. D.

AUCTOR.

## PROOEMIUM.

---

Quum more receptum sit, ut, qui summos in medicina  
ac chirurgia honores capessere velint, de aliqua re me-  
dica disserant, ego quoque huic mori obsecuturus sum.

In eligenda tamen mihi ad conscribendam commentationem  
materia probabile esse duxi, morbum tractare a me ipso  
observatum. Paucis nunc attingere liceat, quid disserta-  
tioni ansam dederit, ut arrogantiae atque immodestiae  
speciem a me avertam. Accidit enim, ut feminam, quae  
in regione epigastrica tumorem habebat mirabilem et jam  
longum per tempus ex vomitu cruento laborabat, Ill.  
Wagner in clinice proponeret, deque ejus morbo ingeni-  
ose dissereret.

Eandem igitur materiem ad dissertationem conscribendam aptam putabam. Quum tamen res valde sit ambigua et anceps et obscura, idcirco, L. B., si rem obiter a me tractatam esse judicaveris, hoc tam rei ipsi quam juvenili meae aetati tribuas, quaeso atque rogo.



## ANAMNESIS.

**F**riderica Reichelt, annum agens tricesimum sextum, nata est Gerae parentibus, quos nunquam ex morbo graviore laborasse, matrem quidem puerperio, patrem lapsu e curru mortem obiisse aegrota affirmat. Ipsa aegrota, sustentis infantum morbis, scarlatina, morbillis nec non posterius variolis, Berolinum profecta ibique ancilla serviens, haud raro igitur ad ignem versata, usque ad annum viginum quartum optima valetudine usa est: tamen se bis vel ter animo lictam esse reminiscitur. Annum agens tredecimum primo menstruavit et ab illo tempore menstrua semper regularia erant. Temperamentum aegrotae valde vegetae et hilaris et loquacis, nec non tranquillo animo fortunam adversam ferentis raroque querentis, e sanguineo ad melancholicum propensum est. Viginti quatuor annos nata prima morbi initia sensit aegrota; vehementibus cruciabatur doloribus in regione ossis sacri ad lumbos pertinentibus; qui dolores mox ad tantam accrescebant vehementiam, ut aegrota extremitates inferiores movere non posset. Extremitates etiam superiores in sympathiam tractae sunt, nam contractiones [spasmodicae digitorum, tactus obtusus et formicationes animadverteban-

tur in illis. Quae symptomata eo erant vehementiora, quo longius aegrota ad ignem versabatur, aut quo magis omnino calebat. Huc accedebant cephalaea, vertigo, photopsiae, susurrus aurium, sudores profusi super totum corpus per dies noctesque. Quae symptomata, modo vehementiora modo remissiora, tres hebdomades duraverant, quum repente morbus vehementissime exacerbaretur; tamen omnis sudor suppressus erat. Aegrota, omnibus fere membris capta, quum ex paralysi laborare crederetur, balneis, vesicatoriis, mox curata, mox autem in nosocomium recipienda erat, ibique illa membrorum paralysis sanabatur. Sed jam tempore convalescentiae animadversum, ab aegrota crebram multamque mitti urinam. Quae urina subviridis, versicolor, subsidentibus floccis albescientibus, odorem praebuisse dicitur inanem. Praeterea mox aegra torquebatur fame et siti insatiabili, alvi obstructione, cephalaea; omnis etiam exhalatio cutanea erat suppressa. Ex qua symptomatum serie, nec non ex medicorum sanandi ratione, quae omnia aegrota tenebat memoria, intelligi potest, tum temporis aegrotam ex diabete sive mellito sive insipido laboravisse.

Postquam plures per hebdomades aegra secundum sanandi rationem praescriptam multis nutrimentis animalibus aliisque concoctu difficilibus usa, urinae tamen quantitas magis magisque adaucta erat, aegrota et anxietatem et pressionem haud mediocrem in praecordiis sentiebat, et nonnullis diebus post primum vomituritionibus, tum vomitu tam vehementi vexabatur, ut omnes cibi evacuarentur neque aegrota quidquam nutrimenti capere posset. Sed paulo post in evacuatis primum sanguinis striae et aliquanto post sanguinis puri parva quantitas videbatur.

Quae sanguinis quantitas tum in primis ad aucta est, quum novus morbus, tumor circumscriptus valde dolens et durus, gradatim crescens, in regione epigastrica appareret.

Aegra inter tam longum morbum semper medicis usa, indeque multos eorum terminos technicos sciens, ab altero medico tumorem illum ventriculi scirrum, ab altero fungum ventriculi habitum esse contendit. Qui tumor crevit aequae ac majores attulit dolores.

Mox etiam tumor ille tantum ostendit ruborem inflammatorium, ut et hirudines et cucurbitulae per triginta sex dies essent applicandae, quibus inflamatio quidem, sed non tumor sanabatur. Tunc quoque menstruatio, quae usque ad hoc tempus, quo tumor apparuit, regularis fuerat, alienata est, nec minus ciborum appetentia caruit aegrota; siti vero insatiabili cruciabatur. Alvis tarda fere semper elysmatibus purganda erat. Interea nec vomitus nec diabetes sanabatur; quin etiam urinae secretio tanto-pere ad aucta est, ut aegra viginti quatuor urinae libras in dies redderet. Sed repente novus morbus incidit. Nam aegrota febri intermitte, primum tertiana, tum quartana, denique quotidiana, quadrantem circiter anni durante correpta est. In qua febri stadium frigoris vehementissimum fuisse aegrota narrat: et post frigus vehementissimum, quod nec calor nec sudor sequebatur, febris finita est neque unquam recidit. Interea in morbis coëxistentibus nulla fere animadversa est modificatio, nisi quod creberrima urinae secretio, postquam viginti hebdomades uno tenore duraverat, circa hanc hebdomadem, dum tumor magis crescebat, minuebatur, et circa hebdomadem vigesimam quintam diabetes sautus habebatur. Sed non meliore fruebatur valetudine patiens, partim quod morbo

diurno valde languebat, partim quod vomitu tanto magis torquebatur, quod maxima sanguinis puri quantitas evacuabatur, ita ut saepe animo linqueretur. Alvo etiam tunc multum sanguinis reddebatur, et aegrota semper levabatur, si alvo sanguis descenderat, dum vomitu cruento nunquam mitigabantur dolores. Sanguis per os et anum effusus coloris rubri et aliquoties tantum cum sanguinis atri coagulis mixtus fuisse fertur. — Septem annos aegra in nosocomio manebat, sed tumor modo major modo minor non sanabatur. Tamen adjiciendum est, aegrotae vires durante diabete valde debilitatas tunc paullulum auctas esse. Aegrota insanabilis secundum optatum suum ex nosocomio dimissa, ex illo tempore quatuor annos in urbe vivebat et a nonnullis medicis curabatur, inter quod tempus nihil morbus ejus mutabatur. Ineunte semestri praeterito in Ill. Wagneri clinice mirabilem aegrotam primo vidi et ex illo tempore observavi.

### STATUS PRAESENS.

Nunc in aegra haecce tibi occurunt. Aegrota, utique pallidi paullulumque cachectici coloris, musculos quidem habet haud crassos, sed vires ejus multo meliores sunt, quam quas post tam diurnam aegritudinem invenire crederes; et ipsa aegra se nunc multo validiorem esse dicit quam morbi principio, quum nunc nonnullas horas sine ullo adminiculo ambulare posset, dum morbo incipiente fere omnino non et postea duobus tantum fulcris nisa locum vertere potuisset. Non minus animi ejus

conditio, durante tam gravi morbo, mirabiliter tranquilla, quin etiam hilaris est, quamvis interdum, potissimum si conditionum suarum miserarum recordatur, vultum severiorem ac melancholicum offert. Tamen nunquam adhuc tristem vidi vel querentem audivi. — Quod attinet ad singula corporis organa, organa respirationi inservientia nunquam in sympathiam deducta esse memorandum est. Aegrota respirat libere et profunde neque unquam depectoris molestiis conquerebatur. — De organis circulationis notes, cordis ictus firmos et regulares, sonos cordis fortes esse; tamen percussione intellexi, cor normali majus esse. Praeterea neque auscultatione nec percussione animadverti rem abnormem, e qua magnam hypertrophiam vel aliud cordis vitium ratiocinari possemus. Tamen aegrota se labore contendente vel celeriter euntem cordis palpitationibus molestari narrat. Quae tamen palpitationes minuuntur, simulatque aegrota quiescat. Pulsum invenimus fere semper modice plenum et durum, regularem tamen, in sexagesima horae parte circiter nonages pulsantem. — Digestionis organa maxime morbo vexata sunt. Lingua albido muco tecta est, ciborum appetentia omnino fere desideratur, sitis autem adaucta est.

Patiens fluida tantum nutrimenta sumit, et quamquam bene scit, vomitum fluidis cibis magis excitari quam firmis, tamen cibos firmos non edit, quod postea maxima loco tumoris pressione cruciatur. Praeterea etiam nunc, sine cibis captis, prodromis non praemissis aegrota saepe vomit, modo cibos et mucum, modo illa sanguine mixta, modo sanguinem purum. Qui vomitus plerumque non nullos dies continuatur, tumque sine aliquo medicamento desinit. Tamen nunquam non post paroxysmum, qui ter-

tia vel quarta quaque hebdomade recidit, ita fessa est aegrota, ut nonnullos dies lecto teneatur. Sed quam primum resurgit, quod situs in lecto ei non convenit. — Albus semper tarde descendit, et faeces durae ac fuscae sunt. Saepe per anum, plerumque simul cum vomitu cruento, multum sanguinis rubri vel atro sanguine mixti, haud innormalem exhalantis odorem evacuatur, et tum aegrota non solum semper levatur, verum etiam tumorem tum minui animadvertis. — Menses ita alienati sunt, ut semper et copiose fluant, nisi per anum vel os sanguis redditur. Sanguinis menstrualis qualitas non est abnormis.

Urinae secretio nunc omnino regularis est; interdum autem normali majorem urinae quantitatem mitti aegrota fatetur. Urina est lucida colorisque subflavi, nec raro album quoddam floccosum subsidit. — Aegrotae sensorium omnino liberum est, ratione loquitur atque omnia, quae circum fiunt, bene scit. Tamen ad syncopas propensa est, et ferme semper animo linquitur aegra, quando tumor premitur. Haud raro laborat ex dolore premente et pulsante in regione frontis vel vertieis. — Quod attinet ad singula sensuum organa, interdum quaeritur aegrota de susurro aurium, de photopsiis molestis, potissimum si oculos labore intendit, vel deorsum se inclinat. Olfactus normalis est. Somnus haud raro somniis tam vividis et terribilibus perturbatur, ut aegrota clamans expergiscatur sudoreque madefacta sit. Cutis secretio normalis, inter somnum tantummodo somniis turbatum est adaucta. Tactus in toto corpore, in processibus etiam spinosis vertebrarum normalis, loco tumoris tantum immense auctus invenitur.

Nunc ad tumoris ipsius descriptionem me converto.

Tumorem neope invenis ovatum, circumscriptum, tensum, durum, immobilem, valde dolentem in regione epigastrica, qui ex hypochondrio sinistro a margine costarum spuriarum, a regione igitur circiter fundi ventriculi trans lineam albam in latus dextrum circiter ad pylori regionem extenditur; supra a scrobiculo cordis usque ad locum duos digitos super umbilicum situm pertinet. Cujus tumoris haud mediocriter in abdomine prominentis, a laeva distinctius terminati quam dextra, magnitudo variat, prout aegrota longius aut brevius ante alvo sanguinem reddidit. Basi tumor hic pyriformis ad latus sinistrum, ad latus dextrum apice porrigitur. Fluctuatio in eo sentiri non potest. Si tamen aegrota ad latus dextrum se inclinat, manu tumori apposita corpus, quod tumoris contentum videtur esse, a latere sinistro ad latus dextrum quasi in manum tibi cadere senties. Ipsa aegra contentit, corpus illud a latere dextro ad latus sinistrum cadere, a se non animadvertis; tamen sibi se erigenti bene sentiri, corpus a latere dextro ad latus sinistrum recidere. Nil tamen ejusmodi observatur, si aegrota ad latus sinistrum se inclinat seque erigit. Aegra etiam se sentire credit, tumorem quasi descendere. Quod ne fiat, quum sensum ei afferat injucundum, eo modo impedit, ut vestium vincula, quasi suspensorio utens, infra tumorem arcte constringat. Supra tumorem atque in ipso tumore pressionem omnino non patitur. Integumenta tumoris externa valde dura et tensa, non minus dolorifica, innumeralibus hirudinum morsibus tecta inveniuntur.

Hic adjicere liceat, aegrotae durante morbo octogies novies venaesectionibus, neque minus immenso hirudinum numero et cucurbitulis sanguinem esse detractum. Situm

in dorso aegra jam longum per tempus non patitur, sed sedens in lecto, capite pronato genibus paene opposito, dormit.

### MORBI DIAGNOSIS.

Secundum symptomata enarrata, nec non secundum tumoris descriptionem certo fere opinionem refutare possumus, tumorem omnino ex tela firma organica constare: nam, si ita esset, fieri non posset, ut, si aegrota situm sic mutat, ut ad latus dextrum se inclinet, manu tumori apposita animadvertisatur, corpus fluidum, verisimiliter tumoris contentum, in manum quasi cadere. Ex quo sequitur, ut tumor ille neque scirrhus, nec fungus medullaris vel pseudorganisatio huic similis, nec polypus, nec sarcoma sit. Idem praeterea etiam ex illa re concludi potest, quod aegrotae vita per tam longum tempus cum illo tumore durare non potuisset, potissimum si tumor ille malignus esset, quod febri lenta et sequente virium consumtione aegrota jam diu esset extincta. Sed et tumor cysticus haberri non potest. Nam in hygromate, quae pseudorganisatio praeterea vix ad tantam accrescat magnitudinem, semper cystis tota fluido completa est, igitur omnis contenti mobilitas cadens deest. Ex eadem etiam causa, potissimum autem, quod reliquis tumoribus cysticis contentum inest solidius, quam quod omnino fluctuare possit, opinio, alium esse tumorem cysticum, steatoma, adheroma, meliceridem, lipoma, majore jure rejicienda est.

Superest, ut refellam, tumorem esse hydatidem. Quamquam hydatides illius magnitudinis inveniuntur eaque intumescentiam talem, qualem hic conspicimus, cir-

cumscriptam, duram, tensam efficere possunt, tamen tumor ideo non hydatis habendus est, quod hydatides, fluido omnino completae, mobilitatem illam cadentem praebere non possunt.

Crebra sanguinis et per os et per anum evacuatio, non minus aegrotae narratio, tumorem minui, potissimum si magna sanguinis quantitas alvo descendisset, vertigo etiam et syncopae, quibus haud raro aegra molestatur: haec omnia opinionem bene patiuntur, in vasorum sanguiferorum systemate quidpiam esse alienatum, tumorisque contentum ex sanguine constare. Igitur tumorem aneurysma aut varicem esse crederes. Attamen aneurysma esse non potest, quod omnis pulsatio deest, et quod aegrota aneurysmatis ruptura, quae res saepius incidisset necessario, quum ab aegrota tam saepe sanguis redditus sit, mortem obiisset. Nec minus opinionem, tumorem esse varicem, repudiare debemus, primum quia haud facile tantae, quantae hic tumor est, magnitudinis varicem invenies; praeterea autem tumor, si venae dilatatione efficitur, semper sanguine completus sit necesse est, quum venae nunquam exsangues reperiantur. Contra quam tamen opinionem mobilitas fluidi, quod tumor continet, pugnat. Pari modo tumor hypertrophia organi in illa regione siti, lienis, pancreatis, esse non potest, quum, si res ita se haberet, non solum contentum fluidum, verum etiam fluidi mobilitas deesset.

Quum argumentis a me firmatum esse arbitrer, tumorem illum neque pseudorganisationem aut benignam aut malignam, nec hydatidem, nec dilatationem vasis cuiusdam aut arteriae aut venae, igitur nec aneurysma nec varicem, nec hypertrophiam organi in illa regione

siti esse posse: opinionem non spernendam puto, tumorem illum intumescentiam sui generis esse.

Quamquam fateor, hancce rem non satis mihi liquere, quamquam persuasum mihi est, sectione sola facta rem ad liquidum perduci posse: tamen opinionem meam de illo tumore illustrare eamque, quantum in me est, argumentis probare conabor.

Tumor ille intumescentia sui generis est, quod jam supra statui. Mobilitate contenti, quod tumor inest, mihi jus tribui credo putandi: tumorem esse saccum, in quo contentum fluidum sit, quo tamen non omnino sit completus. Qui tumor quum multi sanguinis evacuatione per os et anum (opinor enim, aegrotam falli putantem, tum tantum minui tumorem, si alvo sanguis descendisset, quum vomitus cruentus et sanguinis per anum dejectio eodem fere semper tempore reperiantur) minuantur, quod aegra affirmat, ex hac re me ratiocinari posse arbitror, contentum sacci illius sanguinem esse. Tamen tantum abest, ut contendam, sacci contentum sanguinem esse purum, ut credam, hanc opinionem verisimilitudine carere, quod sanguis purus, extra vasa in sacco quodam cumulatus dissolveretur, et hoc sanguine dissoluto organismus perderetur. Sed aegrota jam per tot annos cum illo tumore vivit.

Nunc tamen investigare restat, primum quibuscum organis saccus communicet, tum e quali membrana constet, deinde quale ejus contentum sit, denique unde sanguis veniat.

Quod pertinet ad saccum, putandum est, cum tubo alimentario eum communicare: nam si res ita non esset, contentum sacci neque per os nec per anum evacuar

posset. Situm autem ejus respicientes invenimus, potissimum colon transversum et ventriculum esse, quibuscum communicet. Jam si verum est, quod aegrota narrat, tumorem magis minui, si alvo sanguis descendisset, quam si vomitu evacuatus esset, credamus necesse est, sacci cum colo transverso quam cum ventriculo communicationem arctiorem esse et majorem. Quum supra diceremus, sacci contentum non quidem sanguinem purum, tamen fluidum esse, quod fortasse cum sanguine mixtum evacuetur: hoc cum ea opinione bene convenit, saccum constare e tunica serosa, qua fluidum illud exsudetur, potissimum quum organa omnia in illa regione sita tunica serosa obducta sint. Quin etiam saccus fortasse omnino non membrana nova est, sed peritonaeo organorum ejus regionis dilatato et a reliquis tunicis soluto formetur.

Nunc tantum superest, ut sententiam meam afferam,  
unde sanguis veniat.

Sequentes analogiam inveniemus, non solum vomitum cruentum, verum etiam melaenam prope semper cum morbo lienis conjunctam esse; quam complicationem et hic adesse eo majore jure arbitrari possumus, quum aegrota per anni quadrantem laboraret ex febri intermittente, quam febrem plerumque cum lienis morbis complicatam esse inter omnes convenit. Igitur credere debemus, saccum non solum cum ventriculo et colo transverso, verum etiam cum liene communicare, sanguinemque evacuatum e liene venire. Sed num sanguis tum tantum per os et anum evacuetur, si causa quadam sanguis in saccum effusus est, an tum, si causa quadam vomitus excitatus est et commotione, quam vomitu

organa patiuntur, novus ex liene sanguis in saccum fluit, indeque per os et anum exterminatur: haec omnia obscuriora sunt, quam quae contendere possim. Utrumque quidem variis temporibus incidere possit, prout causae secum ferunt.

Praeterea opinari possumus, in ipsis sacci parietibus multas magnasque currere venas varicosas, ex quibus interdum, uti ex vasis haemorrhoidalibus, sanguis in saccum effunditur.

Quamquam de hoc morbo opinio mea fortasse propria videtur esse, tamen eo magis eam a me capi posse credidi, quod confirmata est casu valde simili, quem Meckel in anat. patholog. Tom. II. sect. II. pag. 420 seq. describit, quemque, quum memoratu dignissimus videatur, ad verbum afferam:

„Eine acht und vierzigjährige Frau, die mehrere Jahr lang Verdauungsbeschwerden gehabt hatte, bekam nach einer starken Mahlzeit heftiges Erbrechen und Schmerz in der Magengegend. Das erste verging in einigen Tagen, der Schmerz in der Magengegend und der ganzen linken Seite aber blieb. Nach ungefähr 6 Monaten, während derer ausserdem beständiges Fieber statt gefunden hatte, starb sie sehr abgemagert.

Man fand die Häute des Magens dreimal dicker als gewöhnlich, beide Magenmündungen gesund, nur etwas über dem Pfortnerschliesser eine Unze von einer käseähnlichen körnigten Substanz, die genau mit der äussern

Haut des Magens zusammenhing, aber nicht den Uebergang der Speise in den Zwölffingerdarm verhinderte. Der sehr vergrösserte und fast mit dem Bauchfell und Darmkanal verwachsene Magen war mit einer ähnlichen Masse bedeckt, die an einigen Stellen die Dicke eines Zolles hatte.

Die Milz war durchaus alienirt. Zur Hälfte war sie resorbirt und zerstört und der übriggebliebene Theil des organisirt und fast aufgelöst. Die Peritonealhaut ihrer innern, concaven Oberfläche war zu einem grossen Balge ausgedehnt, auf dem sich ungeheuer weite Blutgefässe vertheilten. Der obere Theil desselben hing fest mit dem Magengrunde, der untere mit dem oberen Rande des Quergrimmardarms zusammen. Er war sechs Zoll weit und enthielt über ein Pfund eines dunklen, dicken, geronnenen Geblütes, von welchem Stücken von der Grösse einer Faust in einem Maasse voll braunen Blutwassers schwammen. Schon vor dem Tode hatte man zwei Maass Blutwasser weggenommen. Der Grund und die Wände dieses Balges waren in der Höhe eines Zolles mit einer schwarzen, zähen, honigdicken Masse bedeckt, der gleichfalls eine käsigte Masse eingemengt war. Der Magen war sehr in die Höhe, der Quergrimmardarm sehr nach unten gedrückt und an dieser Stelle

nicht weiter als ein dünner Darm. Der Balg communierte mit keinem Organ.“

Liceat hic afferre alterum etiam casum a Meckelio in anatomia pathologica Tom. II. sect. II. pag. 397 descriptum.

Quem casum, quamvis in hacce dissertatione tractato non tam similis sit, quam ille, quem modo ex eodem libro recitavi, memoratu tamen habeo haud indignum, quum sectione facta saccum serosum invenirent immensae magnitudinis et quibusdam abdominis intestinis cohaerentem.

„Fahner (1) fand bei einer dreissigjährigen schwangeren Frau in der Unterleibshöhle einen Sack, der den Magen, die Leber, die Milz und einen grossen Theil der Gedärme einschloss, vorzüglich fest am Zwerchfell und den Unterleibswänden aufsass, über acht Pfund wog, und eine Elle breit, eine halbe Elle lang war.

Die Peritonealhaut der Därme war mit vielen kleinen gestielten Blasen besetzt. Die Gebärmutter enthielt ausser einem sechsmonatlichen Fötus und seiner Nachgeburt eine Menge Blasen von der Grösse einer Wallnuss. In dem grossen Sacke befanden sich auf zweihundert Blasen, von denen einige die Grösse einer Faust hatten. Alle waren eiförmig, lagen frei, hatten durchaus keine

---

(1) Beiträge zur gerichtlichen und pract. Arzneik. Bd. I.  
1799. No. XI. S. 98.

Spur von Gefässen und bestanden aus zwei Häuten, die durch Zellgewebe zusammen gehalten wurden. Beide waren durchsichtig, die äussern dicker als die innern, jener blättrig und faserig. Alle Blasen enthielten ein grünliches Serum, in dem ein gelbes Pünktchen schwamm, das mit einem Dotter Aehnlichkeit hatte.

Die in der Gebärmutter und dem Sacke enthaltenen kamen unter einander und mit denen, welche am Bauchfelle sassen, vollkommen überein und unterschieden sich von den letztern nur durch den Mangel des Stiels.“

Jam tantum nonnulla addere liceat, et cur depletiones sanguinis tam saepe repetitae sint, et cur tumor tam valde doleat. Quod tamen non mirabile habeo, quum saccus tam arcte cum peritonaeo, quod facile corripitur inflammatione, cohaereat.

Ejusmodi status inflammatorius ut saepe adfuerit et saepe adsit, verisimile est; quin etiam contendam, statum inflammatorium chronicum semper perdurare causamque esse, ex qua tumor tam dolorificus sit. Quae res, si ita est, tumoris etiam explicat duritiem, quæ fibrina durante inflammatione exsudata efficitur.

---

## AETIOLOGIA.

Quod ad morbi aetiologyam spectat, satis apparebit, eam multo ipsa morbi diagnosi occultiorem esse. Nam quis pro certo dicere possit, qua ex causa diabete correpta sit aegrota, quomodo diabetes, qui nunquam fere sanatur, hic sanatus sit, cujus momenti fuerit in febrem intermittentem et tumorem, quum de proximis illorum morborum causis nil fere sciamus. Sed quum in diabete aequae ac in febri intermitente plurimum stases in systemate abdominis venoso inveniantur, neque in hoc casu negare possimus, ejusmodi stases adesse: ratiocinari possumus, morbos illos quodam modo inter se connexos esse, licet de eorum pathogenia opinionem afferre non audeam.

---

**THERAPIA.**

Satis liquere videtur mihi, tumorem nullo medicamine sanari posse. Cura sola symptomatica, qua graviora morbi symptomata minuantur, leniantur et quam fieri potest detineantur, indicata est.

---

V E T A

---

Natus sum Adolphus Julius Aemilius Frühauf  
anno hujus saeculi undevigesimo Reckani, vico ad Branden-  
burgum, parentibus optimis, patre Augusto, cantore et  
praeceptore, matre Guilemina, e gente Siebmann, quos  
adhuc vivos ut Deus Optimus Maximus perdiu incolumes  
servet, maximopere precor. Fidei addictus sum evangelicae.

Primis literarum elementis imbutus, gymnasium  
Brandenburgense, quod Directore Braut, viro doctis-  
simo, floret, per annos sex frequentavi. Tum schola  
relicta, duobis annis post, nempe anno MDCCCXXXIX

m. Maj. Berolinum petii, ibique ab Ill. Mueller, t. t.  
Rectore magnifico, inter cives academicos receptus et  
ab Ill. Gabler, t. t. Decano spectatissimo, in ordi-  
nem philosophiae studiosorum relatus sum. Examine  
abiturientium in gymnasio Fridericiano Berolinensi ab-  
soluto, a beat. Ill. Osann medicinae studiosis adscri-  
ptus sum. Per quadriennium hisce interfui scholis:

Cel. Michelet de logice; Cel. Isensee de anthro-  
pologia; Ill. Lichtenstein de zoologia; Ill. Rose de  
mineralogia; Cel. Dove de physice; Ill. Kunth de bo-  
tanice; Ill. Mitscherlich sen. de chemia; Cel. Be-  
neke de psychologia; Ill. Hecker de encyclopaedia  
et methodology medica, de pathologia generali, de hi-  
storia medicinae; Cel. Mitscherlich jun. de materia  
medica; Ill. Schultz de physiologia, de historia natu-

rali medica; Cel. Reichert de anatomia, ducibus quidem Ill. Mueller et Ill. Schlemm cadaveribus rite secundis opera data; Ill. Link de virtute medica vegetabilium; Ill. Schlemm de sensuum organis, de ligamentis et aponeurosis; Ill. Horn et Cel. Reich de pathologia et therapia speciali et de morbis syphiliticis; Ill. Juengken de chirurgia; Ill. Wagner de medicina forensi et politia medica; Ill. Busch de arte obstetricia tam theoretica quam practica.

Exercitationibus clinicis medicis, chirurgicis, medico-forensibus intersui Illustrissimorum et Celeberrimorum virorum: Juengken, Wagner, Truestedt, Romberg.

Quibus omnibus viris, optime de me meritis, quas possum maximas ago semperque habebo gratias.

Jam vero tentaminibus, tam philosophico quam me-  
dico, nec non examine rigoroso coram gratioso medico  
rum ordine superatis, spero fore, ut dissertatione  
thesibusque publice defensis, summi in medicina ac  
chirurgia honores in me conferantur.

---

## **T H E S E S.**

---

- 1. Primarius animi morborum fons est corpus.**
  - 2. Mortis certum signum non est nisi putredo.**
  - 3. China febres intermittentes eo, quod momentum tollit nervosum, sanat.**
  - 4. Icterus non sui generis morbus est, sed symptomam alius in corpore morbi.**
  - 5. Medicus venenis non utitur.**
-